

1941 14
11

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE
MOTIBVS CORPORIS HVMANI
QVI FIVNT
IN PROPORTIONE HARMONICA
PRAESERTIM CRISIBVS ET
FEBRIBVS.

QVAM

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
AMPLISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
FAVENTE CONSENSV

PRO DOCTORIS GRADV
IMPETRANDO

SPECIMINIS LOCO PROPONIT,

ac d. April. MDCCXL.

PVBLINE DEFENDET

JO. GOTTLÖB LEIDENFROST
STOLBERGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
Typis HILLIGERIANIS.

COLIBRAS CORTORIS HUMANI
QUA HABIT
HAROLDIATIONE HAROLDI
HABERETUM CRISTI
LIBRARI.

MAT 6

IN LIBRARY ACADEMIA FINESEIENSIS
ACADEMIA FINESEIENSIS
TAMEN COMMISSARI

PRO DOCTRINA GRADIA

SCHEMATICIS LOGOGRAMMATIS

LO. GOTLICH E. DRESDENICIS



PROOEMIVM.



Onus, motus, æquilibrium, consensus, harmonia, ratio, proportio certa sunt medicinæ principia, quorum consideratio a magnis viris magni semper æstimata. Periodicæ autem mutationes, & stata vitæ & morborum tempora, quæ ex prioribus necessario fluunt, a veteribus tantum observata non explicata fuerunt, quod a sola rationali Medicina hodie expectandum. Hac nixus, quædam problemata de concentu corporis humani, qui melodiarum leges sequitur, & numeris

meris sic dictis sacris comprehenditur, quoad fieri potuit, hic explicare tento. Si quis non omnia limatius exposita invenerit, Dissertationem scribi, non librum, judicet. Ea propono quæ speciminis loco sufficiunt. Neque, dum principia physica corpori humano applico, me arti salutari injuriam facere, spero. Themata theoretica elaborare, musis est convenientius, meoque sic lito ingenio. Practicas enim observationes divulgare, quæ novæ essent, nec antea cognitæ, ætatem poscit & experientiam. Ex chartis autem in chartam quid traducere cramben bis coctam sapit. Dabo tamen & illis operam, autumnus autem recens olus feret, tempore messis. Fave meis interea conatibus, Benevole Lector, meisque studiis favore calcar adde.

§. I.

NOvum terminum inferre in medicinam videorum loquor de Proportione harmonica, quamvis enim & harmoniae & proportionis voces non infrequentes sint in ejus scholis, ea tamen quæ ex his composita est, proportio harmonica in sola Pythagoræ philosophia & arte musica hactenus applicata fuit. Non defuere quidem omni ævo præstantissimi viri, qui vitam hominis melodiae quasi comparari, & in mentis non

non minus quam corporis mutationibus musicum aliquem concentum inveniri putaverint, adeo ut centum paginas facile complerem, si dicta tam prisorum philosophorum, quam recentium etiam summorum virorum hac de re colligere animus esset. Certas autem leges, secundum quas mutationes istae succedunt, nondum fatis expositas lego. Quæsivit illas quidem *Robertus Fludius*, Anglus cum paucis aliis, sed quis est ille Hercules qui figurorum ejus stabulum purgare suscipiat. Misfit igitur ejus simulacris periculum hic facere decrevi, num ex adhibitis principiis physicis determinari queat, quid in ea re verum vel fictum sit existimandum.

§. II.

Quocunque nos vertimus in universo hujus orbis systemate, concentum aliquem notamus omnium rerum, sine quo quidquid est, existere non potest. Quemadmodum enim scientiarum talis nexus est, ut ab se invicem separari vix possint, atque is demum vera eruditio-
nis laude florere credatur, in quo non unius forte disciplinæ cura, sed omnium ferme studiorum conjunctio cer-
nitur, adeo ut Cadmo litterarum primo in suis regioni-
bus statorum *æquorū*, Joyis filiam, uxorem finixerit Hesi-
odus; ita rerum quoque omnium amica societas &
mutua est conspiratio, quæ sola nos docere potest, esse
aliquem æternum fontem, ex quo hæc tanta manaverit
concordia. Vitam pingue, Deum pinges, sed vita nil
nisi harmonia est. Felix igitur ille, cui datum, partem
hujus scientiæ rimari, habet enim is viam, qua contendimus ad creatorem, qui vitæ & cognitionis nostræ be-
atus esse debet finis, ut itaque & mihi jam preceandum
esse sentiam;

τὸν ἀμόθεν γέ θέα Θύγατερ Διός εἰπὲ καὶ τοῦ:

Legi de his merentur præ ceteris illustris Friderici Hoffmanni Medica scripta, & præsertim nuperrime jam edita ejus de *optima philosophandi ratione exercitatio doctissima*. Quantum enim in tota medicina ordo faciat, ratio, proportio & harmonia, nemo melius ostendit unquam.

§. III.

Adgredior autem corpus humanum, in quo mille-harmoniarum observantur species. Quarum eam tantum considerabimus quæ melodiarum leges sequitur, & proportio harmonica vocatur. Omnes sensuum affectiones, omnes febres, corporis incrementa successiva, ætatum mutationes, totius vitæ decursus ac terminus, erunt ea problemata, quæ exinde solvi posse confido. Inest enim his omnibus una mutationis norma, eadem regula. Sic autem scribam, ut *primo* explicem, quid sit proportio harmonica, *deinde* experientias adducam, quod quidam motus corporis in ea proportione fiant, *tum* explicabo fabricam corporis ex qua hi motus fluunt, ac *tandem* ex his omnibus phænomenorum rationes eruam. Quæ tamen fieri non poterunt, nisi veræ mechanics principia hinc inde supponam, quamvis id facturus sim parcissime, ne forte aures non consuetas lœdam.

I. De proportione Harmonica.

§. IV.

Duabus autem vel pluribus rebus harmoniam intercedere dicimus, quando in illis est mutationum ad communem aliquem finem conspirantium similitudo;

uti

uti duo horologia, idem tempus servantia, & simili modo circuitum absolventia vocamus inter se harmonica.

Et quoniam in omni corpore omnis mutatio fit motu, motus autem ex tempore & spatio dimetiendus sit, patet quod diversi motus qui æquali tempore similia describunt spatia & ad eundem finem tendunt, *motus sine harmonici*.

Si vero motus qui eodem tempore similia quidem spatia non absolvunt, sed quorum tamen tempora vel spatia descripta, in aliqua constanti proportione sese habent pro fine aliquo obtinendo, nominandi sint *motus harmonice proportionales*.

§. V.

Plures dantur in mundo tales proportiones harmonicae, sed una est, quæ *narr. εξοχην* hoc nomen ob amplissimum usum meruit, videlicet *proportio harmonica Sonorum*. Quando enim super tabula aliqua duæ chordæ (quales usurpantur pro instrumentis musicis) ejusdem crassitie, ejusdemque longitudinis, vi æquali extenduntur, & ictu aliquo synchrono pulsantur, utraque certum aliquem sonum edit. Hi soni autem tunc ita sibi similes sunt, ut pro uno eodemque ab auribus nostris habeantur, nec a se invicem distingvi possint, atque tunc fatetur quisque has *chordas esse inter se harmonicas*. Quando autem chordæ vel crassitie vel longitudine vel tensionis gradu inter se diversæ sunt, diversos edunt sonos, quos a se invicem discernere animo nostro non est difficile. Porro constat per experientiam, quod aliquorum, quamvis diversorum sonorum conjunctio grata nobis sit & jucunda, qui proinde *Consonantium & harmonice proportionalium characterem* notantur. Quuin e contra aliorum miscela striderem

rem auribus incutiat confusum, ineptumque & minime
gratum, qui Dissonantes vulgo vocantur.

§. VI.

Docet sane physicarum rerum scientia, quod omnis sonus oriatur a motu tremulo partium minimarum chordæ, vel cuiusvis corporis sonori, qui tremulus motus semper cum totius chordæ oscillatione conjunctus est. *Aptitudo autem ad hunc motum tremulum vocatur chorda Tonus.*

Constantique observatione certum est, quod sonus sit acutior, quando motus tremulus frequentior, ideoque tonus chordæ major est. Quo minor autem harum oscillationum dato tempore numerus ideoque tonus minor deprehenditur, eo magis gravis vel obtusus sonus audiatur.

Unde prona est conclusio, multiplici experientia firmata, quod ea chordæ, quarum soni sunt harmonici, æquali tono præditæ sint. Neque arduum est ex his ulterius colligere, quod toni earum chordarum sint in aliqua constanti proportione, quarum soni diversi sunt sed tamen consonantes.

§. VII.

Hæc igitur proportio, ex qua sonorum concordiam mens nostra estimat, nunc explicanda venit, cuius investigationem sagacissimo Pythagoræ ingenio debemus.

Videlicet quando tres chordæ, æqualis crassitie & æquali gradu tensæ, diversæ autem sint longitudinis, erunt earum soni consonantes, quando longitudine chordæ primæ, est ad longitudinem tertiaræ, uti differentia primæ a secunda, ad differentiam secundæ a tertia. Sic numeri 6. 4. 3. sunt in proportione harmonica, quia

$$6 : 3 \equiv (6-4) : (4-3) \equiv 2 : 1.$$

Quæ

Quæ in monochordo, ubi unius chordæ per hypoinochlum mobile omnes longitudinis gradus dari poterunt, optime experimur. Ut autem res clarior evadat, alias quasdam proportionis hujus proprietates adjicere cogor.

§. VIII.

Quo chorda est longior, eo tardiores sunt ejus oscillationes, eoque ejus tonus minor. Sunt igitur *toni reciprocæ uti longitudines*. Quare tonus invenietur, si inferatur: ut *longitudo major ad minorem, ita tonus minor ad majorē*. Ut igitur proportio tonorum in chordis harmonice proportionalibus ad oculum pateat, exhibebo hic aliquot scalas recto calculo probatas, quarum prima quælibet series exponet longitudines chordarum, & altera earum tonum seu oscillationum frequentiam. Sit igitur longitudo maxima $\equiv 240$ grad. & haec intra minutum secundum absolvat 7 vibrationes, erunt in prop. harmonica:

Longit. chord. 240. 120. 80. 60. 48. 40. $34\frac{2}{7}$. 30 &c.

Toni chord. 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56 &c.

Itemque alia scala haec est:

240. 180. 144. 120. $102\frac{2}{7}$. 90. 80. &c.

7 $9\frac{1}{7}$ $11\frac{2}{7}$. 14. $16\frac{1}{7}$. $18\frac{2}{7}$. 21. &c.

vel si ponantur a maxima chorda octo vibrationes peragi, talem habemus scalam:

240. 192. 160. $137\frac{1}{7}$. 120. $106\frac{25}{49}$. 96. &c.

8. 10. 12. 14. 16. 18. 20. &c.

Ex quibus & omnibus possibilibus scalis apertum est, quando longitudines chordæ sunt in proportione harmonica, esse tunc earum tonos in progressione quadam arithmeticâ, proinde æquidistantes. Ut igitur mens nostra de sonorum concordia

dia non ex fractionis minutia (quod vulgo adseritur) sed ex tonorum æquidistantia judicare credenda sit.

§. IX.

Perfectissime Consonantes illi toni sunt, qui habent rationem duplam ut 1. ad 2. Et hi vulgo octavæ vocantur. Inter duas autem octavas bini dantur ordines conspirantes, videlicet 1) Tonus primus, tertius, quintus, septimus & octavus, qui æquali intervallo ab se invicem distant. 2) Deinde primus, quartus, sextus & octavus, qui itidem æquali intervallo distincti sunt, sed majori quam priores. Indeque est quod septem toni uno quasi in systemate comprehendantur, octavus autem novæ classis choragus septem ducat alios, quos excipiens decimus quintus septem præst sequentibus, & ita porro.

Nunquam autem ullus tonus conspirat cum proxime sequente, quem secundam vocant. Unde peculiaris nascitur toni septimi proprietatis ut, quamvis sit in ipsa proportione harmonica, ideoque cum sono primo belle conspiret, octavo tamen sit adversus, quia proxime præcedit. Quare in hujus cum ceteris coniunctione mira sit inter sensum gratum & ingratum iuxta & contentio.

§. X.

In infinitum autem nulla procedit harmonica progressio, sed finitur in aliquo termino, qui per calculum adhibitum inventu non difficilis, hic tamen non evolvendus est, quia pro sequenti usi sufficit, id ipsum modo indicasse.

§. XI.

Sed non tantum a longitudine chordæ mutatur tonus, verum etiam a crassitate & tensione. Ut autem terminos hos minuam, vocabo imposterum Potentiam chordæ, eam ejus constitutionem, qua ad certum tonum apta est ratio-

one

one suæ massæ & molis, & comprehendam sub hac voce tam longitudinem quam crassitatem; & notandum hic erit 1) Theorema generale, quod demonstravit Caryæ, *Traité du son Sc. scilicet, inter chordas diversas nunquam perfectissimum oriri posse concentum, nisi longitudines eorum sint directe uti diametri.*

Præter potentiam chordæ autem tonus variatur et iam a tensione, unde porro sequentia theorematum subiecte jubet institutum nostrum, prætermis tamen demonstrationibus, quas addere brevitas vetat, videlicet:

- 2) Quando potentie sunt aequales, & tensiones sunt aequales, erunt etiam Toni aequales.
- 3) Si toni sunt aequales, & tensiones sunt in proportione harmonica, erunt potentie in eadem proportione directe.

§. XII.

Peto autem veniam, B. L. quod in tam steriles Teccampos induxerim, a quibus lætos fructus forte non expectas. Est igitur mihi nunc ostendendum, ex his etiam quasdam progerminare plantas, & indicandum

II. Quod quedam corporis humani mutationes fiant in proportione harmonica.

Namque fere ea omnia, quæ de numeris sacris, & periodicis mutationibus, stata tempora observantibus, omnis aetas notavit, & quarum accusationem doctiores mirati sunt, multi sprevrerunt, hanc rationem sequuntur, præsertim autem septenariae vicissitudines tam crebræ in hominis occurrent vita, vt divinitatem huic numero quandom adscribere non detractaverit priscorum sapientium schola, quoniam id omne vocabant *Deos*, in quo ratio caussæ ad effectum sic lateret, ut non solum eam nesci-

rent, verum etiam de ejus inventione diffiderent. Ni-
hil enim ignorationem magis tegit, quam excelsa nun-
cupatio.

§. XIII.

Et primo primo ea ipsa, quæ jam dicta sunt (§. 5.6.)
ostendunt, quod *auditui nostro gratus sit concentus illo-*
rūm sonorum, qui a chordis proveniunt harmonice pro-
portionalibus, quum omnes ceteri soni, qui hanc non
agnoscunt mensuram, ingrati nobis sint & asperi. De-
bet igitur adesse aliqua sufficiens ratio, qua hunc jucun-
ditatis sensum determinet, quare necesse est, in aure no-
stra aliquid esse, quod harmonicam proportionem sapit. Quan-
do duæ chordæ harmonicae non adeo procul a se invicem
remotæ sunt, earumque una tangitur, ut tremeat & so-
net, apertum est, quod conceptum hunc tremorem trans-
ferat in ambientem aerem; aer autem eundem hunc
motum alteri præsenti chordæ harmonicae communicet,
unde & hæc tremere, oscillare, sonare incipit, experien-
tia id comprobante. Neutiquam vero aer communica-
re motum suum potest chordæ quæ non est cum priori
harmonica. Sed quis non videt idem in auribus nostris
contingere, atque sonum aliquem non nisi mediante ae-
re nervis auditoriis communicari. Afficit autem aer chor-
das tantum harmonicas, ergo necesse est in auris organo,
innumerous esse fibrarum tonos, omnibus externis sonis
respondentes. Id quod ex musculis tympano adPLICATIS
& figura nervi acustici instar cochlearis reflexi facile pro-
batur.

§. XIV.

Sed age, *in Vīsu* eandem observāmus rationem. Sol-
enim omnis lucis in hoc mundi systemate pater, vitæque
mo-

motusque solus in cunctis terrenis rebus auctor, radiorum
quas undiquaque spargit, actione, omne corpus calore
fovet, luceque lata collustrat, rerumque formas oculis
nostris monstrat, nunquam visendas, nisi radios a sole
acceptos reflegerent, eoque motu in retina oculi tuni-
ca semet ipsas depingerent. Hæc autem solarium radio-
rum reflexio non uno modo procedit, nec proinde sensu
nobis imprimis eundem; solemus enim hasce refle-
xionum differentias *colorum* nomine signare. Colores
similes simili etiam modo reddunt immisso radios, ideo-
que inter illos harmoniam intercedere, res ipsa loquitur
(§. 4.). Eorum autem numerum fere immensum *septe-
nario ordine* progredi ab albo ad nigrum usque, veteres
jam in *iride* viderunt, nos autem felici studio celebrium
virorum certissimi redditum sumus. Non est hujus loci ad-
ducere experientias hic pertinentes, quas aliunde disce-
re hodie non est difficile. Tantum hic habe quod qui-
libet solaris radius prismate vitreo exceptus in sex divi-
datur alios, colore maxime distinctos, sic ut prima di-
strauctæ hujus lucis linea *purpureum*, altera *violaceum*, ter-
tia *cæruleum*, quarta *viridem*, quinta *flavum*, sexta *auran-*
tium, septima *rubrum puniceum* colorem objiciat. Hi au-
tem omnes inter se commissi, lenteque vitrea denuo col-
lecti *album* constituant, mirabili effectu, neutiquam præ-
viso, quod tot varietatum miscela tam gratam in albedi-
ne harmoniam concordiamque inire, & propria cuiusvis
forma nexus hoc facto sic aboliri quasi queat, ut simpli-
cem esse crederes radium, qui sextuplex est, cuiusque
partes non æquali vi eodemque impetus gradu punctum
oculi feriunt, imo potius vibrationum suarum magnitu-
dine atque celeritate quam maxime discrepant, ita qui-

dem ut earum motum in eadem proportione incrementa capere, qua sonorum acutiem crescere didicimus, vero sit magis quam simile, iisque satis perspectum qui mentem hisce applicuere deliciis. Eo usque etiam ut, quum non omnis omnium colorum confusio oculo placeat, sed certus omnino eorum ordo requiratur, si pulchram colorum mixturam fieri desideramus, non frustrato successu recentiores quidam ex proportione sonorum harmonica hunc ordinem praedefinire, calculoque ducto pulchritudinem versicolorum corporum quasi metiri tenterint. Qualis labor illud praesertim organon optimum est, cuius fabrica ante duos fere & quod excurrit annos in novellis Litterariis Hamburgensibus publici juris facta fuit.

§. XV.

Videmus ex dictis, nobilissimos hos ambo sensus, *visum & auditum* ab obiectis affici iisdem legibus, & in proportione constanti. *De ceteris sensibus* eandem adfirmare rationem, deficientibus experimentis non nisi per analogiam potero. Id sane nemo nescit, nemoque negat, non quamlibet placere *saporum, odorumque* simplicium miscelam, sed eam praesertim, in qua est quedam harmonia. Sic oleoso savori si alcalinum jungis, teter savor oritur ex amaricante vappidus, quum e contra gratissima sit oleosi cum acido conjunctio. Sed deest nobis observatio sufficiens pro eorum proportione determinanda, quæ quod cum sonorum proportione coincidat, persuadere nos possumus, quamvis demonstratione nondum convincere.

In primis etiam *de Tactu*, quo sensu cunctæ corporis humani partes gaudent, certum est, dari quandam proportionem.

portionem quamvis adhuc incognitam, in qua tam oblationes ejus, quam lassiones procedunt. Quoto vide-
mus die *mille dolorum* species, neque tamen eos inter se
conferre, eorumque metiri gradum, & urgens aliquod
doloris symptoma ab eo quod facilius fertur, distingue-
re haec tenus didicimus. Sunt qui doloris sensum in ea
proportione augeri perhibent, qua vitam ex causa do-
lorifica pericitari mens nostra judicet. Quorum con-
tum equidem laudo, quamvis non ubique sequar, quo-
niam e. g. angustia præcordiorum ex Polypo facile ad-
huc toleratur, inter quam tamen & mortem parum sepe
interjectum est spatii, dum interea nil alens periculi o-
dontalgia nos cruciat ad rabiem, improboque labore
torquet. Erit igitur inferius occasio de mensura dolo-
rum generatim quædam notandi unde lecturo patebit,
dolorum etiam magnitudinem ab eadem proportione
harmonica pendere, ex qua sonorum suavitas, colorum-
que pulchritudo recte aestimatur.

§. XVI.

Potest igitur de omnibus sensibus, quamvis de ali-
quibus obscurius, quam verissime tamen dici, unam &
eandem omnibus esse sensationis legem. *Proportio har-*
monica capropter dici meretur *Proportio sensuum*. Et quo-
niam nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sen-
su, si ea quæ connata nobis creduntur, principia exem-
pis, sane absurdum non est de hac eadem proportione co-
gitare, quando regulas de perspicientia nexus veritatum
exponere conamus. Concordes nobis videntur duæ
notiones, quando inde nata propositio est vera, discor-
des quando est falsa. Verae propositiones per Syllogismum
probantur; neque tamen syllogismus fit alio ordine, quam
si ani-

si anima de nexu termini primi cum termino altero jucicat ex inventa ratione, quam uterque habet cum termino inter hos medio, ideoque eorundem differentiae sunt uti termini extremi, interque illos consequenter ratio versatur harmonica (§.7.). Neque enim ulla arithmetices communioris species pro syllogismo inde explicando sufficit, neque ipsa regula de tribus; in hac autem proportione syllogismi symptomata se fere omnia resolvunt, neque tamen hic locus est, quo meas de his meditationes ponere licet. Certe parturunt aliquid celeberrimi Viri, qui in arte analytica, qua vires argumentorum calculo ducto examinari possint, adhuc defudant. Et magnum certitudinis in disciplinis incrementum ab illis praestolatur totus orbis. Hi docebunt aliquando quæ mensura sit adhibenda ratiociniis.

§. XVII.

Intellectus voluntati præsidet. Forte voluntatis determinatio, bonique præ malo felix elec^{tio} eodem ordine procedit, quo corporis dispositio, & sensuum affectio, ipsiusque mentis ratiocinatio tenentur. Illi quibus Theologiae penitioris aliqua cura est, ambabus id concedent manibus qui in divinis oeconomiis, quas pro voluntatis emendatione & salute nostra hic & illic instituit supremus omnium rector, ubique eam inveniunt, & illum qui Deo nobiscum intercedit nexus, vel quodidem est, religionis mysteria numeris exprimere non infornato tentamine conati sunt. Ternam rerum harmoniarum seriem millies monstrat sacer codex, & essentiam Dei descripturus trinum in illo concentum recte constituit, septenario autem circuitu omnia quæ inter Deum hominesque gesta sunt, & simul omnes historiæ sacræ periodos

(o)

riodos ab ænigmate creationis usque ad transitus tellūris fatum sere semper comprehendit.

§. XIX.

Non autem sensuum modo affectiones probant, motus aliquos humani corporis fieri in proportione harmonica: verum & alia phænomena nobis hanc constitutionem vendicant, & primo quidem solemnes illæ mutationes, quas septenariis vitæ periodis fieri, traditio, vel si mavis, observatio est. *Menses & annos climactericos* hic annuo quorum veritas in *Medic. System. Illustr. Hoffmanni* e-jusque Dissert. *de annis climactericis* satis probatur. Luna enim vertens, nosferque circa solem motus annuus, omnium in tota tellure fientium mutationum communes fere mensuræ sunt, & in ipsis humanis corporibus manifestum est, naturam eorum hyeme plane esse aliam, & diversam ab illa, quæ æstate, vere, & autumno est, esum, potum, calorem, somnum, excretiones omnes, effectus animi, morbos diversis anni tempestatibus diversos esse. Corpus autem nostrum ab infantia demum, usque ad extrellum senium constitutionem suam ita perpetuo mutat, ut ex habitu laxiori semper ad strictiorem procedat, unde patet quod anno quolibet vertente, effectus solis & inde nascentium tempestatum in compaginem nostram plane aliud sit, videlicet pro receptivitate texturæ nostræ varians. Quodsi igitur in confessu sit, septem annis decursulis insignem fieri alterationem, & cum octavo quasi novum vitæ systema incipere, cognitu facile est, tale nobis esse partium σύγκρισις, ut etiam illa, quæ sensim ætate inducitur, strictura in ea progressionem fiat, quam de sensibus apertam asseruimus (§. XVI.). Videbimus au-

C tem

tem quomodo in morborum etiam decurſit eadem ob-
tineat proportio.

§. XIX.

Motuum vitalium vis & mutua reſiſtentia, fi par-
tim a cauſa aliqua morbiſica, partim a principio vitali
ultra naturalem gradum augetur, FEBRIS oritur, pri-
marius morbus, & naturae ipſa ſepe medicina, & niſi a-
lius jungatur, legibus motionum quam exactiſſime re-
ſpondens. Vel *acuta* eſt, ephemera vel synochus dicta,
quando in uno tenore ab initio morbi ad finem eius uſ-
que continuum motus augmentum, & in vitam, mortem
vel aliū morbum præceps mutatio eſt. Vel *intermit-
tens*, per plures ſibi paroxysmos ſuccedens, quorum qui-
libet acutus in ſe morbus, ſed brevioris durationis, mi-
norisque periculi eſt. *Acutarum autem febrium*, niſi pec-
uliaris jungatur malignitas hic fere per tres durationis
periodos decurſus observatur.

I) Ut ubi cauſa morbi violentiam intulerit ſystema-
ti corporis, oriatur animi tristis, moesta, dolens, in grata
ſenſatio, reſiſtentiae ſanguini in extero habitu factæ ul-
tra cordis motum excessus præternaturalis, partium ex-
tremarum ſtrictura & inductum inde frigus, pallor, tre-
mor, pulſus parvus ſepe intermittens, functionum vel
omnium vel plurimarum alteratio, laſio, augmentum vel
debilitatio, humorum quantitas, qualitas, crafis, mixtu-
ra, motus, recedens ab indole ſana, ſanguinis verſus cor
congeſtio, excretionum mole, colore, conſiſtentia varia-
rio, insignis, urina pallor, totius vita perturbatio. Et
haec ſunt a cauſa morbi tanquam hoste vincendo. Qui-
bus eodem tempore natura ipſa etiam adſurgit, vim vite
& cor-

& cordis magis excitat, motumque illum naturalem, qui motui morboſo contrarius est, auget, acuit, intendit, ut majori vi, vigore, celeritate, constantia, collectisque quasi copiis morbi violentiae se æquet, ideoque pro eo ſuperando magis fiat validus. Hæc ubi miscentur, atque viis morbi aperte adhuc prævalet vi vitæ, vocatur *status crudus*, & describitur *prima morbi periodus*.

II) Quando igitur eo creverunt vitæ vires, ut incipient nunc pares esse morboſo motui, fit aliqua morbi mutatio, & acris in corpore lueta, qua *futuri exitus Index nominatur*, deque salute vel pernicie ægri prædictus. Ubi enim ſalutaris exitus spectandus, ultro tunc creſcent vitales motus, ſanguinis circulus fit liberior, viſ morbi autem gravius urgetur, functiones quædam ſanis magis ſunt ſimiles, ſpasimus extremonum parumper remittit, urina fit turbida, ſed accedunt motus auctioris etiam ſymptomata, cephalalgia, oculorum rubor, æftus maximus, cutis tamen vix madida. Simil autem humorum vitia, lentoſ, vifciditas, nimia fluxilitas, acrimonia ſenſim corriguntur, ea quæ ſanguini forte insunt non decentia, falſa, pingua, craffa, putredinosa ſeparantur, & in eam vertuntur indolem, talemque ad locum abiguntur, unde commode excerni poſſint; adeoque *cruda coquuntur*, cauſa morbi pedetentim ſufflaminatur, vičtrix natura ſuperfites eſt. Secundam autem & quidem coctionis periodum tunc *absolutam dicimus*.

III) Hæc dum ſic acta ſunt, patet morboſum motum decadere, & motus vitalis aucti cum morboſo fieri æquilibrium, ſanguinis autem & humorum circulum tunc eſſe maximum & majorem quam antea unquam, unde absque nova morbi cauſa fit *perturbatio*, quam *criticam*

adpellant, & hanc sequens *evacuatio Critica*, s^epe per plura excretoria simul, semper autem per sudorem, qua fit humoris vel nⁱmii vel noxii eliminatio salutaris, huic autem illoco succedens motuum quietatio, functionum cum sanis & copia & indole ex sur gens similitudo, humorum justa quantitas & crasis, animi tranquillitas, sanitas & vita. Tunc autem etiam *tertia Critica Periodus* finita est, morbusque si h^ac ita decurrunt, salutariter exit.

§. XX.

Quando autem virtus naturae se opponit quidem morbi i^ctibus, hujus autem causa tam magna est, ut a vita quantocunque gradu aucta tamen vinci non possit, tristius certamen oritur, morbo victoriam tenente, neque tunc est res lata mederi, pulsus mox magnus, fortis, celer, mox parvus, debilis & tardus, jam sudor jam strictura, nullus morbi ordo, functiones laeduntur magis atque magis, accedunt gravia symptomata, sensus, adpetitus, somnus abolitus, partium relaxatio, paralysis, strictura, spasmus, convulsio, inde oriens excretionum non debita vel suppressio, vel excitatio, mentis affectiones funestae, mille mutationes, sed ad perniciem tendentes omnes, vi^ra e^{quilibrium} penitus destrunctum, mors denique & acerbum animi a corpore diuortium.

Ino datur medius etiam morbi finiendi modus, ut vel salutaris crisis facta, sed critica materia incongruo loco adpulta ibiharet, novi morbi speciem introductura; Vel etiam nulla Crisis advenerit, sed in alium diuturnum, magis arduum affectum praecip^s natura, viribus fracta tuat. Ast concurrunt hic aliae rationes, unde, quando in febris naturam inquirendum est, animum ab hisce retra^{ct}e legis-limitationibus abstrahere paulatim praestat.

§. XXI.

§. XXI.

Hæc tres periodos natura obseruat semper in qualibet febre simplici, nec cum aliis morbis complicata. Imo plus adhuc facit, cuilibet Periodo certum tempus adsignat, unde *Dierum Indicum & Criticorum* nata doctrina est, de quibus si observationes, ab ipso Hippocrate ad nostram ætatem factas colligimus, præter quædam accidentia nihil mutatum est, nisi quod aeris, regionis, climatis diversitas, alieni infensibilis morbi conjunctio, perversa medicatio, imo rectæ observationis etiam negligentia tempus absolutum alterare possint, manente tamen Periodorum proportione. Et secutus sum in his præter *Hippocratis* ipsius monumenta, *Illustr. nostri Hoffmanni*, nec non *B. Stahlii* de crisiibus veris tractatus & observationes.

Nimirum aliqua febris acuta *quarto die* critice solvitur, cuius periodus prima circa finem *diei secundi*, altera autem *die tertio* absolvitur.

Deinde in alia, eaque maxime familiari crisiis accedit *septimo die*, cuius prima periodus definit *die quartu[m]*, altera cum perturbatione finitur *die sexto*.

Tum etiam quædam ad *decimum quartum* Crisiis protrahunt. Die autem *septimo* & *undecimi* dimidio ejus secuturæ faciunt augurium.

Quum autem ne tunc quidem finitur morbus, ultero procedit ad *vigesimum* & *primum*, indicatur autem ejus duratio die *undecimo* & *decimi septimi* fere dimidio.

Porro est alia species acutarum, quæ ad *vigesimum* protenditur, de qua tamen ut & de illis quæ hunc etiam transgrediuntur terminum, parcior est apud autores mentio, ideoque minor certitudo, raroque hæ sunt simplices, neque faciunt aliquid ad præsentem trationem.

Patet autem ex his, quod tempora periodorum
semper sint in eadem proportione, ut prima se habeat
ad secundam uti 2, ad 3, vel 4: 6, vel 7: 10¹, vel 11:
16¹, quod cuilibet per communem regulam arithmeti-
cas tentanti observabitur. Similiter autem appareat quod
haec temporum proportio coincidat cum proportione harmonica.
Et quidem cum ea in qua chordarum potentiae sunt uti 3. 4.
6. totaque morbi duratio per septenaria intervalla delcri-
bitur. Quae omnia magis clara erunt, quando

III. Ipsam corporis harmonicam fabricam nunc explicatam dabimus.

§. XXII.

Quamdiu Homo cogitat, jugisque sanguinis & humo-
rum per totum corpus motus & in orbem circuitus est,
Vivere dicitur. Ergo adhuc necesse est mens, & cum men-
te talis corporis fabrica, quae di eti motus cum ceteris in-
de pendentibus functionibus rationem in se contineat.

§. XXIII.

Nulla corporis humani pars est ruditis massa, sed mi-
randa potius milleorganorum, serie multiplici nexo-
rum Compages. Docent hoc manus oculatae anatomici-
corum. Simplicissimum autem organulum, ex quo ce-
tera omnia composita sunt, est *Fibra motrix*, sive *Linea
physica, cava, vehendo liquori apta, molle, flexilis & mobilis.*
Habemus & hoc ex corporum sectione. Velim mireris
hic mecum, Lector, naturae simplicitatem. Vitam no-
scis, quid ea nobilius? quid ejus causa divinius? Nec
tamen eget natura pro ea consequenda magno adpara-
tu, superbisque mediis. Simplex tubulus est ejus or-
ganon.

(o)

23

ganon. Ex hoc vita fluit. Quis crederet, nisi videlicet quotidie?

§. XXIV.

Tubulum Capillare dicimus quemcunque tubulum tenuissimum, capilli crassitatem non multum excedentem, quales ex Vitro confici possunt.

De quovis tubulo capillari, utrinque aperto evin cit experientia, tot tentaminibus physicis roborata, quod si altero sui fine immittatur in aliquem liquorē non nimis viscidum, hic liquor sponte in tubulo moveatur sursum & deorsum. Ergo ubicunque tubulus talis apto humorī applicatus, erit motus automaticus, erit principium alicujus vite. Cujus rei etiam in panno, spongia, ellychnio, & aliis corporibus in quibus cava tates capillares sunt, rude experimentum capi potest. Non meum jam est, inquirere in ejus rei causam, quod faciunt Physices interpres. Mihi erit pro Phænomeno & axiome.

Quacunque autem de *Tubo capillari* valent, ea valiant etiam eatenus de *Fibra motrice*. (§. XXIII.) Ergo in fibra motrice liquor commodus sponte movetur. Utique movetur sponte. Si negas! unde Vita?

§. XXV.

Liquor omnis, dum intrat in vasculum aliquod, in vasculum agit, movetur enim. Ergo in ejus latera aliquas vires exercet. Sed fibra est mollis & flexilis, quare latera ejus humoris impetu cedunt, fibræque figura aliquantum sub hac actione mutatur. Est enim hæc flexilium corporum communis regula. Sed quoniam humor agit in latera ab intra, non alia mutatio concepi potest, præter

præter ampliationem. In quacunque igitur fibræ parte aliqua humoris particula hæret, ea pars ceteris erit amplior.

Et quoniam actio æqualis reactioni, erit hec ampliatio viribus æqualis, quas humor exercet in latera.

Adparet etiam hoc experimento crassiusculo in sponsa, pane, simila, piso, corio, aliisque corporibus in quibus cavitates capillares sunt. Aquæ enim hæc imposita turgescunt ab intrantis humoris violentia. Quod idem docet plantæ cuiusvis nutritio. Hæc enim si flaccida & humore nutritio destituta marceret, mox, ubi imposita aquæ est, caulis & folia turgescunt, & humore aqueo repleta eriguntur, vitamque ocyus recuperant. Bellam hic adduco observationem Poupartii, Journ. des sav. Tom. 21. p. 722. de Cornubus limacum, quæ sub cute corrugata, limax protudere potest celerime non alio mechanismo, quam quod liquor cavitati corum immensus ab omni parte eorum latera extendat, & capacitatem cornuum adaugeat.

§. XXVI.

Nascitur autem ex hac fluidi actione ea fibræ constitutio, ut pro canali perfecte elastoico haberi debeat. Quodsi enim a quacunque causa externa comprimatur, succus in ea hærens expellitur; ubi autem causa comprimens remota est, liquor iterum ingrediens ejus latera de novo ampliat, ideoque restituit pristinæ formæ. Quæ proprietas soli elateri competit.

§. XXVII.

Fibræ, cuius amplitudo augetur, ejus longitudine minuitur. Et erunt ejusdem fibræ longitudines reciproce utrū ampliatio-

pliations, ideoque in ratione reciproca virium quibus ampliatur. (§. XXV.) Sola confirmaret hanc thesin experientia. Alliga funi alicui suspenso pondus quoddam, tum sensim funi guttulas aquæ instilla, quæ funiculi cavitatibus sese insinuant, ejus crassitatem augebunt, longitudinem autem sic minuent, ut pondus manifeste per faris magnum spatium elevetur. Quo plus aquæ instillaveris, eo altius elevabitur pondus, donec funis ad eum gradum sit madefactus, ut plus aquæ recipere nequeat, tum enim subsistet, & pondus in eodem elevationis gradu permanebit. Quum igitur eo brevior fiat funis, quo plus aquæ instillaveris, sequitur esse ejus abbreviationem in ratione adfusa aquæ, hoc est in ratione virium, quibus funis ampliatur.

Sed eandem hanc thesin ex geometricis principiis jam dudum probavit Alphonsus Borellus, elegantius tamen demonstrandam ex natura canalium elasticorum, & fili chalibei spirilibus gyris in se reflexi, cujus arcus elipseci abeunt in circulos quando comprimitur, ideoque axim minorem ellipsos augent, amplioremque figuram nanciscuntur in ea ratione qua comprimuntur. Quam tamen vereor adjicere demonstrationem, ne locum de man magis necessariis.

§. XXIX.

Omne corpus elasticum, idu aliquo percussum tremulum partium suarum motum patitur, quod ex vi viva, quæ restituit, facile demonstratur. Ideoque omne corpus elasticum aliquo tono donatum est. (§. VI.)

Habebit ergo etiam omnis fibra motrix aliquem tonum. Qua de re, quæ superius de omni chorda, quatenus

D

nus

nus motu tonico gaudet, probata sunt, ad fibram etiam corporis humani motricem applicari possunt.

Fibræ igitur tonus mutatur, mutata crassitie, longitudine & tensionis gradu. Quum autem haec tres affectiones, sive sint in reciproca, sive directa ratione, omnes sequantur rationem virium fibræ applicatarum, (§. XXV. XXVII.) Patet quod fibræ tonus mutetur in ratione virium quibus stringitur.

Simil autem recte concluditur, si diversarum fibrarum longitudines & crassities exponas per earum potentiam, esse tunc diversarum fibrarum *Tonus æquales*, quando earum tensiones directe sunt uti potentie. Hoc enim est illud theorema, quod de chordis tensis in universum affirmatum fuit. (§. XI.)

§. XXIX.

Quando fibra fit brevior, eam contrahi dicimus. Ejus igitur contraœatio fit in ratione virium quibus amplior redditur. (§. XXVII.) Sed tonus ejus est in eadem ratione (§. XXVIII.) ergo sequitur, quod, quo tonus fibre major, eo major sit contractio, quo tonus minor, eo contractio minor.

§. XXX.

Tria sunt fibrarum Genera, constanti observatione ab antiquissimis jam Anatomicis in Corpore humano distincta. Genus videlicet *Nervosum*, *Arteriosum* & *Musculare*, quarum differentia fere in eo consistit, ut

I. *Nervea Fibra* 1) originem ducat ex cerebro, 2) tenuissima sit, ita ut ejus cavitas nulla arte hactenus patcieri potuerit, 3) fluido subtilissimo perfundatur, 4) per omnes corporis partes, ubicunque motus aliquis esse debet, inveniatur ceteris intertexta, 5) tono gaudeat vibratorio, 6) sitque summe elastaica.

II. *Ar-*

II. *Arteriosa Fibra* autem 1) oritur, quando arteria (deinceps describenda) perpetua divisione tandem in minima filamenta abit, in quibus ex lege capillarium tubulorum sanguis sponte moveri potest. 2) Ubi finis est hujus fibræ, curvatur illa, & connectitur cum vena minima, in eumque humorem effundit. 3) In ipsa autem curvatura porum emittit, hoc est canaliculum qui foras, extra corpus apertus hiat. 4) Minima quidem est, sed diametro tamen major quam nervosa. 5) Tonoque suo & elatere gaudet. 6) Perpetuo se ampliare & elongare nuntiatur, nisi a vi nervi contractili impediatur.

III. *Muscularis autem Fibra* diversæ ab his naturæ 1) peculiari gaudet structura, ut circa sui medium in ventre quasi abeat, tenuior autem sit circa utrumque finem. 2) subtilior quam ut arte aliqua cavitas ejus adhuc detegi potuerit, sed crassior tamen quam nervosa. 3) Quando agit, contrahitur motu actuali, & sensibili gradu fit brevior. 4) Quælibet suam habet Antagonistam, quæ laxatur dum prior stringitur, & vice versa. 5) Quando plures communis alicui membrana includuntur, musculum componunt, cuius ea constitutio est, ut quemlibet ingrediatur aliquis nerva fibra & simul aliquis arteria, ita ut si altera harum vel utraque ligetur vel absindatur ante ingressum, musculi motus pereat, & erit igitur 6) muscularis fibra inter duas priores in medio quasi constituta. 7) Et valent hæc præcipue in eo musculo, qui vitam facit primario, & sanguinem actuali motu in circulum agit, corde videlicet, quod motu contractorio & laxatorio (qui systole & diastole vocantur) alternis vicibus agitatur continuo. 8) ideoque fibræ ejus per to-

tam vitam, perpetuo tonum mutant, qui major est in constrictione, minor in laxatione.

§. XXXI.

Pendet ab his tribus fibrarum generibus ipsa vita, pendet ab iisdem circulus humorum. Et observatur in illis porro: 1) quo celerior & major contratio cordis, ideoque quoniam ejus tonus, eo major etiam est humorum motus.

2) Quo major est tonus arteriosarum fibrarum, eo circulus minor, sed eo major excretio. Nam in omni sudore, sub somno, durante astatis calore, illæ semper tument & magis amplæ sunt, sed simul tunc major est excretio; Metitur autem amplitudo fibræ, si cetera sunt paria, siuum tonum, (§. XXV.) ergo tonus major erit, quo fibra amplior. Ergo tonus arteriosarum major, quo major excretio per transpirationem & fere omnia excernicula.

3) Quo strictrior est complexus nervorum in corporis in externa superficie, eo minor excretio. Sed eo major sanguinis versus cor compressio. Ergo eo major circulus. Moderatur ergo tonus nervorum refluxum sanguinis versus cor; Quæ ut patefiant apertius, quodlibet fibrarum genus examini magis rigoroso subjiciendum erit.

§. XXXII.

Cor enim, sacrum Viscus ex omnis fere figuræ fibris muscularibus, rectis, directis, curvis, spiralibus, cochleam & helicem referentibus ita constructum est, ut quando hæ omnes eodem tempore stringantur, binarum cavitatum, quæ sub ventriculorum nomine insunt cordis parenchymati, latera sibi mutuo cocant, capacitatem ventriculorum minuant, imo plane tollant, eoque ipso sanguinem contentum in arterias expellant. Et est hæc quidem

dem *systole Cordis*. Tum autem, ubi liquor ejectus, & ca-
vum cordis vacuefactum est, exdem illæ fibræ a contra-
ctione violenta restituuntur & longiores fiunt, eodem
que tempore ventriculorum latera ab invicem recedunt,
cavitasque aucta influentem ex venis sanguinem denuo
recipit, mox iterum ejiciendum. Et est haec post systo-
lem facta diastole.

Habita hic ratione fabricæ ut causæ ad motum ceu effec-
tum, nexus deprehenditur illico. Namque *structura*
fibrarum dependens a liquido immisso per principium vi-
tale, & *anteriarum coronariarum* is positus, ut deple an-
tur, quando omnes reliquæ arteriæ implentur, & vice
versa; tum varia non in cassum hoc loca machinamenta, tra-
bes, sulcus, valvula, pericardium, liquor in eo hærens, arteri-
rum & venarum in cordis cava patens anastomosis, & peculia-
ris ex his fluens circulatio, diversa ab humorum circulo, in
toto corpore, faciunt ut distincta fiat hæc conjungenti
notio, una tamen in pagina non explicabilis. Doce-
mur hoc idem in corde non adeo diu exsesto, cuius fi-
bræ nondum coaluerunt, quod aqua calidæ injeatum,
per satis longum tempus ordinariam producit systolen
atque diastolen. Neque tamen est ibi aliud mo-
tus principium quam tenuis lympha, fibram stringens,
non tamen ideo perennis quia spiritus rector abest. Erit
igitur cor muscularis, cuius antagonista totum corpus & uni-
versa sanguinis resistentia, praesertim majorum arteri-
rum elasticitas.

§. XXXIII.

Arteria enim, in quam sanguis a corde exprimitur,
est canalis longus, principio satis amplius, sensim dein-

D 3

ceps

ceps instar coni decrecens, ita tamen ut per laterales ramos facta angustia semper compensetur; Ex *quinque tunicis*, quantum constat, compositus, quarum prima *vasculoſa* nutritionem, & altera *celluloſa* lubricitatem præstat, *tertia tendinea*, valida robur dat & interiores continet, ne cedant sanguinis violentiæ; Tum autem *muscularis* ex fibris circularibus quandoque & spiralibus motricibus texta appetet, sub qua demum *nervea latet*, longitudinalibus donata fibris quoque motricibus & apprime elasticis. Quæ *bine intime tunicae* motum anteriarum solæ moderantur. Loquor autem hic de arteria, non de fibra arteriosa, quod Lector monendus erit.

Docet Scientia statica, sanguinem arteriis immissum dupli directione in latera ejus conica agere, tum quod conum allongare, ejusque augere axin, tum quod ampliare, & diametro majorem reddere tentat. Et potest utriusque actionis ratio ex inventa proportione axeos ad diametrum facile determinari, quod tamen nimis prolixum hic foret, & inutile. Extenduntur igitur ab impetu sanguinis non longitudinales tantum, verum & circulares arteriarum fibre, iisque violentia infertur. Qui status est *arteriae diaſtole*, synchrona cordis systole. Et cum loco advenientis sanguinis alia ejus portio inter ipsam hanc strictroram abeat in venas, ideoque causa violentiæ cesseret, fibre elongatae ex lege elaterum, vi liquoris tenuissimi sponte in illis moti (§. XXV.) sece restituent, hoc est breviores reddentur, ideoque conum arteriosum pristinæ formæ restituent, axin & diametrum ad priorem terminum minuent; simul autem arterias cordis coronarias implebunt, novæque cordis contractioni ansam dabunt. Facta sic etiam est *systole arteriarum*,

marum, diastolæ cordis synchrona, & redit arteriaæ qui-
es, in instanti tamen de novo desituta.

§. XXXIV.

Nullus elater in immensum stringitur, sed ubi pun-
ctum aliquod compressionis, quod ipsi summum est, at-
tigit, in eodem gradu persistit. Quamdiu autem stric-
tura infra hunc manet terminum, erit vis qua elater
stringitur, semper æqualis vi, quam elater in se restituendu-
do nanciscitur. Iam observatur, arterias infra ultimum
extensionis punctum varios ampliationis gradus pati,
quoniam pulsus uno tempore major est quam altero.
Ideoque *vis sanguinis a corde accepta, erit tunc æqualis vi re-*
stituenti, sive elasticitati fibrarum arteriaæ.

§. XXXV.

Vires igitur cordis & vires arteriarum ex elasticitate pen-
dentes, quibus a sanguine ultro, citroque urguntur, sunt
æquales & sibi contrarie. Ubi autem vires æquales eunt
directione contraria, sit æquilibrium, sed ubi æquili-
brium, ibi quies. Ergo si haec ita sunt, sanguis im-
motus in arteriis resisteret. Quoniam igitur hic actu
movetur, adsit necesse est, aliquis excessus virium, qui-
bis sanguis revera progrereditur, super resistentiam ipsi fa-
ctam. Unde opus est, adesse præter vim cordis aliam
adhuc causam motentem. Utique existit talis causa, &
in altero fibrarum genere, arterioso quærenda. Namque
ubi major arteria perpetua ramificatione sensim gracile-
scens eo pervenerit, ut amplius dividi non possit, mutat
figuram conicam, depositisque musculari tunica & cete-
ris integumentis tubulus fit cylindricus, tenuissimus, oculi
non patens ob exilitatem, cavus tamen, arte Ruischia-

na

na detegendus ideoque naturam tubuli capillaris, & nomen fibræ arteriosæ acquirit, cuius ea explicata est proprie-
tas (§. XXIV.) quod liquor absque impulsu externo mo-
veatur in ea spontaneo nisu.

Sanguis ergo, quamvis magnam partem virium in arteria movenda amittat, tamen per hæc minima capillamenta gliscere poterit, & ad extrema corporis pervenire. Inde autem sequitur, humorem fluere in his arteriolis non pulsatorio sed æquabili cursu. Neque tamen inde nexus cum corde tollitur, semper enim quo impetus cordis major est, eo major observabitur in his etiam celeritas, quia liquor majori motu donatus major etiam exercebit actionem.

§. XXXVI.

Præterviderunt hoc ipsum multi eorum qui physica principia corpori humano applicuerunt, & inter hos ipse Borellus, qui dum motum cordis determinare tentaverunt, visceri huic immensas vires adscripterunt, per ejus structuram neutiquam demonstrabiles quoniam magnam ab omni parte resistentiam, conicam figuram, elasticitatem, directionis innumeratas varietates, suminim vasorum angustiam, liquoris gravitatem &c. viderunt, & hæc omnia solo cordis motu vinci putaverunt. Practicos autem hanc veritatem omni tempore docuit experientia, quamvis in congrua voce, prout solent, rem expresserint, atque *habitum externum* vocarint, quo termino nil intellexere, præter tenuissima vasorum per omnes artus, totamque corporis superficiem reptantium filamenta. Unde crebra sit habitus apud auctores mentione, cui cum partibus vitalibus pro vita & sanitate conser-

servanda arctissimum nexus intercedere, ex cachexia autem & malo habitu vitam quam maxime laedi, persuasi fuerunt, quamvis consensum ipsum, ejusque leges non rimati fuerint.

§. XXXVII.

Quando sanguis ad extrema corporis pervenit, effluxus esset eo, ubi minor est resistentia, ergo per poros foras protruderetur, & nulla vel certe minor quantitas versus cor rediret, nisi adeslet causa tertia, excretionem dirigens, & redditum jam dictum efficiens. Habemus autem hanc in tertio fibrarum genere (§. XXXI.). Cerebrum enim & medulla oblongata versus omnes & minimas corporis partes nervos mittunt, qui per totum etiam habitum repunt, & quilibet arteriosam fibram ita cingunt, ut pro nervi vel stricatura vel relaxatione hujus etiam contractio vel dilatatio & hinc oriens libertas circuli humorum plane mutetur. Præsertim hunc videmus usum in nervosa cutis extimæ textura & reticulo Malpighiano.

§. XXXVIII.

Et potest ex his de sanguinis circulo distinctissima idea dari, rigori etiam geometrico obediens, qualis nequitiam adquiri potest, si solum cordis motum ejus causam esse credimus. Nolo autem tramitem relinquere, pro futuris enim thesibus sufficit ex iis quæ demonstrata sunt, colligere, 1) quod cor primum det impetum sanguini & latera moveat arteriarum, haec autem æquali vi & in cordis arterias re agere valeant (§. XXXII. XXXIII. XXXIV.) 2) humor autem sanguineus ulterius per habendum ducatur motu spontaneo (§. XXXV.), & 3) versus

E

sus

sus cor reprimatur à resistentia nervosi texti (§. XXXVII.) & 4) quod hæ actions reciprocæ omnes dependeant a tono fibrarum quibus perficiuntur (§. XXXI.).

§. XXXIX.

Quando motus ab hisce tribus fibrarum generibus oriundi sic excentur in corpore humano, ut mens nostra neutrum præ altero sentire possit, hoc est, quando cor sanguinem non majori vi agat in arterias, quam huic pro reptatu per habitum opus est, simul etiam nervosum genus per poros cutis neque plus neque minus transire patiatur, quam necesse est, ut justa quantitas in cor regrediatur, erit circulus humorum sanus.

§. XL.

Quæcunque sunt perfectæ similia, ea ab se invicem discerni non possunt, sed habentur pro iisdem, unde perfectæ similia sunt etiam æqualia. Ubi igitur in concorrentibus pluribus mutationibus, uti fit in corpore humano sano (§. XXXIX.) nullum præ ceteris animadvertisimus tanquam diversum, patet quod illæ mutationes sint similes.

Dependent hæ mutationes a tono fibrarum, quibus perficiuntur (§. XXXVIII.) effectus autem sunt viribus proportionales, ergo toni etiam fibrarum sunt similes, ideoque æqualis in illis vibrationum celeritas. Chordæ autem vel fibre, que æquali tono predite sunt vocantur harmonicae (§. VI.). Ergo in statu sano inter fibras nervæ, musculares & arterias observatur harmonia. Ubi cunque autem unius generis fibrarum ultra reliqua tonus augetur, vel minuitur, oritur corporis disharmonia.

§. XLI.

§. XLI.

Constat per experientiam, quod fibræ ipsæ jam non ininitæ æquales non sint, crassior est enim arteriosa, tenuior nervea, & inter has media, muscularis. Quare ut æqualitas toni inducatur, tensio earum simul variare debet. Et quidem secundum theorema expositum (§. XXIX.) tensiones esse debent in directa ratione uti fibra-
rum potentiae. Demonstravit autem *Carrius in Libr. de sono*, quod perfectissima harmonia nunquam inter chordas esse possit, quamvis omnes tensionis variationes admisseris, nisi potentiae chordarum, hoc est non diametri tantum sed etiam longitudines sint in proportione har-
monica. Unde a priori patet, quoniam a vero plane non aberramus, si corpori humano tam divino operi perfectissimam partium combinationem inesse credimus, quod tribus illis generibus fibrarum illa conditio adsit, sine quibus hæc perfectio adquiri non potest, videlicet quod illarum *potentia* non tantum, verum etiam earum *tensiones* sint in proportione harmonica.

Neque tamen his etiam contentus ero, sed simul probare laborabo *a posteriori*, quod earum *tensiones* sint in directa proportione, quo facto idem de potentiis eorum cre-
dendum erit. Fiet autem hoc primum ex acutæ febris dato cursu, ita ut simul

IV. Rationes Phenomenorum (§. XIII., XXI.) indicatorum inde eruantur.

§. XLII.

Omnis febris simplex, synocha, oritur a texti nervosæ in corporis in- & externa superficie expansi constrictione

E 2 præter-

præternaturali, ejusque igitur majori tono, id quod potorum contractio, transpirationis suppressio, urinæ tenuitas, artuum & dorsi spasmus vagus, pallor, frigus & extremorum gravitas molesta certissime docent (§. XIX.).

Et potest hæc constrictio vel a morali causa, affectu insolito, ira, terrore, amore produci. Potest eadem ab aeris injuriis, potest a tenuissimi liquidi nervos perreptantis vitio originem habere. Quarum tamen caularum nulla perfectam corpori & durantem febrim inducere potens est, nisi adsit simul sanguinis & humorum vitiata crasis, præsertim autem copia, unde homines plerumque corripit plethoricos & juniores.

Erit igitur constrictione illa facta in corpore soluta harmonie (§. XL.), quæ restituti non poterit, nisi & ceteræ fibræ eundem cum fibris morbosis tonum adipiscantur. Ergo, ut sanitas restauretur, etiam illarum tonus augeri debet. Videamus igitur qua ratione vitale principium negotium hoc absolvat.

§. LXIII.

Quo major stricatura & Tonus generis nervosi, eo major nascetur sanguini per habitum fluenti resistentia (§. XXXI. n. III.), eo igitur minori copia fluet ex arteriis majoribus, eoque majori impetu per systolem arteriarum utgebitur in coronaria cordis ipsius vasa, unde major cordis orietur diastole. Sed quoniam in corde vires systolicæ semper æquales diastolicis (§. XXXIV.), sequitur etiam major systole. Ergo tonus cordis major Quo major autem sensim fit cordis systole, eo major in arterias impetus reciprocus, eo fortior actio in vascula minima

minima artetiosa. Unde & horum major ampliatio decurta-
tio & Tonus.

37

§. XLIV.

Eadem igitur vis & una causa, excitatus videlicet a principio vitali *major humorum impetus* reciproco influxu & *cordis habitus tonum* augabit.

§. XLV.

Ut igitur musculares fibræ non minus quam arteriose ad præstitutum Toni gradum, qui æqualis sit Tono morboſo nervi generis, perveniant, aliquo tempore vel mora opus est. Et quoniam chorda potentior majori tensione utitur, ut aliquem tonum adquirat, quam alia cuius potentia minor (§. XXIX. X.), prona consequentia patet, quod fibræ arteriosæ longiori tempore pro sufficienti stricatura opus habeant, quam musculares, si tendentes vires sunt æquales (§. XLIV.). Est enim hæc naturæ stabilita lex ut tempora compensem vires.

§. XLVI.

Edocti autem sumus illas febrium periodos, in quibus morbi fit mutatio se habere semper uti 4 ad 6, five 2 ad 3 &c. (§. XXI.). Atque si recte phænomena insuemur, observabimus, in fine periodi prima tonum cordis eo auctum esse, ut respondeat tono morboſo texti nervosi. Secundum autem finiri, quando & arteriosum genus præstitutum tonum acquisivit.

Ea enim qua dicta sunt (§. XLII.) symptomata fere omnia, si frigus excipias, durant ad quartum diem & testantur usque eo magnum esse nervorum toni ultra reliquas fibras prædominium.

E 3

Dic

Dic autem quarto definit ea qua torquebatur æger præcordiorum angustia, spirandi difficultas, æger repentina sentit mutationem ut leviorem se factum putet, pulsus quamvis non celerior, tamen major est, quæ omnia non fieri possent nisi sanguinis in corde & arteriis majoribus preflatio minuta, neque cor pro impetu ejus arcendo sufficientes nunc vires naçtum esset.

Eodem vero tempore, major in habitu sentitur morbus quam in præcordiis: Alteriolarum enim prurigo, oculorum rubor, cephalalgia, intensæ sitis remissio, urina crassiore sedimento rubens, extremorum major calor, cutis tamen vix madida, probant, in solo tunc habitu majorem adhuc esse resistentiam.

Sexto vero die praterlapso & hic labor superatus erit, habitus enim sanguinem liberius admittit, & monstrant omnia phænomena, nervosi texti resistentiam nunc esse vietam, ut æquabilis per omnes partes circulus humorum & æqualitas toni in fibris restituta sit, quamvis naturali vehementior.

§. XLVII.

Quapropter quum tempora, hæc sint ut 4 ad 6, & tempora sint uti tensiones (§. XLV.), erunt etiam tensiones muscularium & arteriosarum fibrarum adse invicem ut 4 ad 6 consequenter etiam illarum potentia (§. XXIX.). Quare secundum harmonicam proportionem (§. XLI.) nervis fibris non alia quantitas adscribi poterit quam 3. Hæ enim in febre rationem temporum servare nequeunt, quoniam prope in instanti a causa morbosæ valida ad eum gradum stringuntur, ceteræ autem a vi vitæ lentius eo perducuntur. Vires enim in illis compensant tempus.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Sexto igitur die finito restituta erit fibrarum motri-
cium harmonia, sed motuum quantitas in corpore erit
maxima. Ergo ne tunc quidem morbus finitus erit, quo-
niā humorum tantus æstus, solidarumque partium ju-
sto durior attritus, corporis compaginem facile destructu-
ti forent. Ideoque motionis ejus quantitas ad priores li-
mites reducenda erit. Id quod natura facile peraget,
quoniam omnis humorum lento, visciditas, acrimonia
& quævis alia causa, propter quam febris incendium fa-
ctum est, fortissima illa fluidorum conquassatione sic so-
luta, fracta dispersa erit, ut humor antea non perspira-
bilis, hærens in fibris firmiter, nunc tenuis magis & ex-
cretioni aptus redditus, ideoque id quod crudum erat,
nunc coctum deprehenditur. Quare quum causa spasmi
remittat, ipse spasmus abigetur.

Sed etiam *hæc a tono præternaturali remissio fiet in tem-*
pore, & cum aliqua mora. Igitur eæ fibræ, quarum po-
tentia minor est celerius restituentur; Quare remittet
primo *nervosum genus, & minorem tonum cito adipi-*
scentur quam cetera fibrarum genera. Unde nova orie-
tur partium disharmonia, & inde fluens absque nova
morbi causa perturbatio quæ critica vocatur. Simul au-
tem ob resistentiam nervorum sic minutam magna fiet
excretio; qua excretione quum massa sanguinis minuatur,
ideoque ejus impetus frangatur, cessabit etiam causa quæ
cordis & habitus tonum auxerat (§.XLIV.). Ergo sensim & hi
restituentur sanitati.

Atque vero videtur simile, quod remissionis tempora fiant
in ea proportione, quam augmenta toni secuta sunt, ut si
nervo-

nervorum remissio facta fuerit uno die præterlapso, nempe septimo, pulsus major definit finita parte tertia diei octavi, & ipsa critica excretio decurso die octavo, ut hæc tempora sint uti 1. 1 $\frac{1}{2}$, 2. 3. 4. 6.

§. XLIX.

Qua de re licebit nunc a posteriori concludere, quum fibræ nervæ, musculares, & arteriosæ diverso tempore opus habeant pro acquirendo æquali tono, (§. XLVI.) & tempora illa sint uti illarum tenstones (§. XLV.) & simul in proportione harmonica (§. XLVII. XXI.) esse etiam potentias harum fibrarum in eadem (§. XXIX.).

§. L.

Atque patet ex his vera febris simplicis natura, ut videlicet post factam a quacunque causa corporis universi disharmoniam, natura uniforme motuum augmentum sanarum partium usque ad certum punctum perficiat. Sed quemadmodum una tantum rectarum linerarum species est, curvarum sint innumeræ, ita farissime recta hæc febris observatur. Quando enim malignitas aliqua impedit quo minus justo ordine augeri vis vitæ possit, vel perversa medicatio hoc incrementum turbet, vel aliis morbus complicatus & inepta patientis diæta accedat, proportio certa temporum non potest a natura servari.

§. LI.

Neque tamen semper febrem adesse dico, ubi dis harmonia aliqua corporis observatur, nam uti totus homo a natura morbus est, si credimus Democrito Hippocratem ridenti, ita eadem fide asseri posset quod tota vita perpetua febris sit. Harmonia inter partes corporis

His cōstitūentes frequens alteratio. Omnis dīes, omnis hora nōs mutat. Tertiam vitā partem occupat *sōmanus*, ubi texti nervosi remissio æquabilitatem toni tollit. Ipsas autem vigilias dividunt inter se *inertia* & *repletionis sensus a pastu*. In hoc quidem farcita vasa sanguine tono fibrarum contractili resistunt magis, in illa autem tonus auctus observatur, famis acutus sensus, tremor, dolor, appetens anxietas. *Labor* etiam & *sequens lassitudo* febriculam faciunt. *Aeris injuria* eandem excitant. Amoenum zephyrum quando ferox excipit aquilo erit parva in corpore febris, non tamen diutius durans quam ipsa mutatio. Ubi enim paulo nunc aquiloni adsvescimus, restituetur proportio sed majori aliquo gradu motus perficiens. *Meridianus calor*, *vespertina frigiditas* alternant perpetuo. *Animum* natura nobis indulxit, pro quo tanto munere sēvam exigit mercedem. Nam ut multæ sunt a corpore *febriculae*, ita plures *ab animo*. *Ira* quid est nisi febris? notum mihi exemplum rarius ex illustrissimo genere natae fœminæ, quæ 15. nunc annos tertiana laborat, cuius primordia ex ira & terrore contraxerat, nunc autem contrariis animi affectibus causam ejus fovet. Quid amor, dolor, tristitia, miceror, gaudium & risus possint, Sanctorius nos docet. Sic mille sanitatis formæ, perpetua mutatio, & tota vita nil nisi februum complexus est.

§. LII.

Neque enim omnes sunt naturales hæ mutationes corpori humano, quo enim quis est magis sanus, eo parcius ab illis tentatur. Neque tamen etiam morbosæ sunt, sed sospite fiunt & salva natura. Quare datur harmoniæ in C. H. aliqua latitudo quam *πλάτος οὐλεῖας* Galenus jam vobis cavit.

F

cavit.

cavit. Et præsertim cordis motus, qui est inter reliquæ fibrarum genera medius multas ferre potest intensiones atque remissiones absque sanitatis proprio documento. Id quod etiam proportionis harmonicae legibus est consentaneum, atque omnibus in musico instrumento tantibus patebit, inter primum & octavum tonum (h. e. inter 3. & 6.) plures esse medios apprime consonantes.

Quapropter ubi natura opus habet febrim excitare, necesse est, ut 1) simul talis adsit humorum copia & crassis, quæ leviorum etiam ferre mutationem non potest, id quod nimis facile perspicitur, quam ut ejus demonstratio possit a me exigi. 2) vel ut unius generis ultra reliqua tonus ad eum gradum auctus sit, ut nisi certo tempore harmonia restituatur, vita inde periclitetur. Meretur autem hic spasimi gradus aliquam considerationem, quam ex ea proportionis harmonicae affectione, quæ (§. VIII.) detecta fuit, instituere juvabit.

§. LIII.

Videlicet videtur vero conveniens, quod, quo spasmus major adsit, eo brevior fit febris duratio. Namque quo spasmus major, eo fortior sanguinis versus compressio, ejusque potentior in fibras cordis & arteriarum actio. Quapropter celerius augmentum toni sequatur oportet. Unde acutissimi morbi brevissimi sunt, sed simul gravissimi, difficilesque. Colligimus ergo quod tempora *absoluta* quibus febres durant sint reciproce uti spasm ob quos excitantur. Simul autem experientia docet, tempora *absoluta* quibus ordinatae febres absolvuntur, esse uti 7. 14. 21. 28. &c. hoc est uti 1. 2. 3. 4. &c. ergo in *progressione arithmeticâ*. Quapropter spasm, qui

(o)

qui sunt reciproce uti hæc tempora, dimetiendi erunt
ex proportione harmonica (§. VIII.). Scilicet natura aber-
rationem nervosi texti a tono solito tamdiu feret, donec
tonus ejus auctus iterum in aliam cum ceteris fibrarum generi-
bus proportionem incidat. Ad hunc igitur gradum si cau-
sa morbi urget, natura febrem accendet, ceterisque et-
iam fibrarum generibus majorem conciliabit striduram.
Videmus hic legem microcosmicam, secundum quam con-
sensus partium in corpore humano estimandus erit. Ut
enim in sanitatis statu consensus est inter fibras harmoni-
ce tensas, ita post disharmoniam factam consensus fere
nullus, nulla communicatio est, donec disharmonia eo
usque creverit, ut nova quædam harmoniæ species inde
refulteret. Tunc aliqualis redit societas, tunc cetera fi-
brarum genera in consensum rapiuntur, tunc natura ad-
surgit, tunc febris oritur. O miram hominis fabricam!
in qua quotidie nova notamus artificia.

§. LIV.

Sic a priori lex ista consensus fuit inventa, expe-
rimentis autem eam stabilire velle, vix datur, quoniam
negatum nobis est, diversas chordas vitali nexu inter se
jungere. Habemus tamen analogia quædam in natura
phænomena, ex quibus patet; *vix aliquam diu tolerari*
posse absque effectu evidenti, qui non sequitur, nisi vis ad cer-
sum punctum creverit. Vitrum frigidum diu fert admis-
sum calorem, tum ubi hic longius durat, non sensim
sed uno iectu frangitur. Filum si pondere oneratur, non
sensim rumpitur, sed sustinet tot partes quantum potest,
dein simul ac semel dilaceratur. Bilanx gravi onusta
pondere, quodsi altero brachio parva vis pedetentiam
adhibetur, non pededentim etiam assurgit, sed tum,

demum, si vel æquilibrium jam adest, vel saltim non
longe adhuc abest. Dolium vini in cella inundata, & na-
vis in fluente tam diu non natat, sed in fundo jacet, donec
sufficiens aquæ quantitas tanta vi ea simul ac semel pro-
trudat, ut a priori domus sœpe dejectæ sint. Est hæc
quidem vis inertiae, qua magna pondera elidunt vim
minorum, nec a viribus admisis proportionate afficiuntur.
Sic etiam vitale fibrarum robur sustinet impetum
spasmi, tum autem ubi harmonico hic gradu invadit,
prontius effervescit. Valebit autem hæc consensus lex
in omni casu, ubi partium nostrarum συμπάθεια obser-
vatur. Nam e. g. ventriculus sœpius male habet, nec re-
liquum tamen corpus inde afficitur, quandoque autem
ob nervorum conjunctionem cerebrum, caput & pectus
læduntr. Ergo quia hoc non semper fit, debet etiam
in hoc consensu aliqua proportio versari. Et cur non
hæc eadem?

§. LV.

Quomodo ad intermittentium febrium phænomena
nostra applicari proportio possit, in quibus statas vicissi-
tudines statasque diei horas quibus ingruit invenimus,
vix exponere nunc possum. Præmittenda enim esset
doctrina de effectibus diei & noctis in corpus humanum,
& hæc demum jungenda cum dictæ proportionis legibus,
postulat autem hoc peculiarem tractationem.

§. LVI.

Accedo ad annorum climaëticorum rationem eri-
endam. Sed & hic brevissime eundum erit. Hominis na-
scientis prima rudimenta fluida sunt, vel fluidis quam pro-
xima, sensim hæc deinde indurescunt & solidiora sunt,
donec seniæ confectum corpus tantam adquisiverit solidi-
tatem

tatem, ut fluidorum in illo motus parcissimus, vasa angustissima, vix cava, vehendo liquori parum apta, proinde dura non amplius mollia, nec flexilia nec morticia sint. Quo magis autem haec fiunt, eo propiores morti sumus, naturali modo invadenti.

Hæc ipsa tamen mutatio non uniformiter procedit, sed inversam ætatis rationem servat. Quo juniores enim & magis vicini sumus origini nostræ eo major illa est, & eo velocius corporis incrementum. Quilibet fere dies puero sensibilem inducit alterationem, & prius septem vel octo annis tantum infans sanus crevit, Quantum viginti & pluribus frequentibus annis corpori non apponitur. In qua proportione hoc incrementum fiat, videbimus.

§. LVII.

Corpus igitur humanum sensim fit perfectius. Et observantur in vita illius certæ periodi, æquali distantia a sece remota, quibus ad diversa perfectionis momenta corpus & mens illi inclusus evchuntur. Sic ad septimum vel nonum annum laxa fluit ætas, vix homini similes sumus, eo autem tempore ossium firmitas, capitis magnitudo, sensuum & loquela vigor, dentium verorum rudimenta, capilli cæsaries apparent. Intra decimum quartum & decimum octavum annum pectoris ampliatio, vocis gravitas, intellectus usus primus, vita vegetior, genialis aura, pilorum densitas & color prodeunt. Vigesimo autem primo, tertio vel quinto muscularum robur, mentis acuties, voluntas magis determinata, totius corporis justa magnitudo perfecta sunt. Tum æquali porro intervallo, anno 28mo. ad 30mo. virilis firmitas accedit, mutatio tamen quotidie minor, & vitæ fere status est, post

plures demum æquales periodos sensibilis, donec gliscientibus annis vita, nervis, musculis, circulo sanguinis, capillis, robori, menti, sensibus & omnibus ea cratis adquisita sit, quam senium vocamus.

§. LVIII.

Quoniam igitur in sano & bene ordinato homine tempora harum mutationum sunt æqui distantia (§. LVII.), & reciproce uti mutationes, (§. XLVI.) patet quod mutatio ipsa procedat in proportione harmonica (§. VIII.).

Hoc igitur solo fundamento nititur ea, quam de viâ duratione formare possumus, prognosin. Quo enim longius illæ periodi ab se invicem distant, eo diutius homo vivet. Anne igitur sapientibus, qui se ipsos norunt & naturæ vivunt convenienter, terminus vita & annus mortis cognitus esse potest? faltem quam proxime? Cur autem homines qui cito perfecti fiunt, cito moriuntur? animalia, equus & canis & alia quanto vel 6to anno virilem habitum consequuntur, & vigesimum eorum vita vix superat. Homo autem qui trigesimo demum virèvadit, centesimum attingere potest.

Sane hæc ita se habent, sed affectibus & morbis proportio sàpe turbatur. Unde pauci præstitutum adipiscuntur terminum. Proportio enim harmonica in infinitum non procedit, sed finitur in aliquo termino, ergo nec hominis vita perpetua & æterna esse potest. Quapropter homo Sapiens & Philosophus, qui vivit uti debet, seque ipsum novit, ex observatis vitæ periodis punctum invenit, ultra quod vita prorogari nullo modo potest. Ex iis autem quæ præter naturam ipsi acciderunt, quam proxime determinare poterit quot annis mors id punctum sit anticipatura.

§. LIX.

§. LIX.

Evidenter autem resolutum esse puto illud problema de termino vitæ, quod tantis volutatum litibus est omni tempore. Sed ulterius progrediendum. Quemadmodum tota corporis machina crescentibus annis mutatur, ita inter partes ejus specialis adhuc versatur diversitas, ut una citius perfectionis gradum attingat præ altera. *Primum* enim omnes vires natura intendit *in capite augendo*, quod in foetu & infante pro corporis ratione justo majus est, simul autem totum nervosum genus, & sensuum organa citius perficiuntur quam ceteræ partes, unde in infantibus frequens sanguinis versus caput congettio, & multi non raro inde pendentes morbi. Certitudo autem hic naturæ labor fere absolutus circa annum *decimum quintum vel octavum*. *Deinde pectoris & cordis simulque musculosi generis firmitas succedit & thoracis ampliatio*, ad labores aptitudo, artuumque robur. Et superatur hoc etiam opus plerumque circa *vigesimum primum vel quartum vitæ annum*. *Tum autem ad habitum augendum, & adipis segregationem se magis accingere natura videtur, finemque hunc attingit circa trigesimum vel trigesimum sextum*. Neque poterit quisquam constanti huic observationi refragari, unde eadem proporcio, quæ ex febris acutæ historia hisce fibrarum generibus adsignata est, ex hac etiam probatur experientia. Utitur enim *nervosum genus non nisi 18, annis pro certa strictura consequenda, quum cordis & musculares fibre 24. annos, & habitus 36. annos consumat*. Est autem 18. 24. 36. uti 3. 4. 6. (§. XLVII.).

Et perspicitur ex his, quæ definitio realis competit *statui virili vita humanae*, videlicet, ubi tria illa fibra-

rum

rum genera totiusque corporis σύγχρονα, perfectissimam toni æqualitatem inter se adquisiverunt. Quum e contra lata quædam dissonantia sit inter motrices fibras quo propiores vel origini vel fini sumus, sic ut in iis qui celera corporis incrementa sumunt, non raro multorum annorum febris observetur, non nisi post sufficientem corporis extensionem recedens.

§. LX.

Pergo nunc ad *sensus* de quibus experientiae superioris adductæ (§. XIII. XIV. XV.) evicerunt, earum affectiones nostram sequi proportionem; Et primo de *doloribus* probabo, quod illorum mensura ex eadem ratione instituenda sit. Omnis sensatio sit in cerebro; Cerebrum autem conspirat cum reliquo corpore per nervos. Nullam corporis humani partem sentimus, nisi sit in illa quædam mutatio facta; ergo nervi erunt respectu animi exponentes mutationum, quæ sunt in corpore. Quo major est mutatio, eo fortior sensatio; dolor autem sensationem præsupponit ita auctor, ut mens eam ægre ferat. Constat autem totum corpus ex fibris, (§. XXIII.) neque in fibra concipi mutatio potest, nisi longitudo vel crassitas vel tensio alteretur; sed ab his tribus pendet fibræ tonus (§. XXVIII.); ergo nulla datur sensatio, nullusque dolor, nisi fibra alicuius tonus mutetur, ideoque ejus cum ceteris ambientibus fibris harmonia solvatur. *Judicabit igitur mens de qualibet dolore ex magnitudine disharmoniæ dolentis fibræ, cum nervis sanis.*

§. LXI.

Fibra & chorda, quæ a levi impetu movetur, vocatur sensibilis in ratione ad aliam, cui movendæ motor

ior impulsus adhibendus est. Ergo quo fibra sensibilior, eo est debilior, eoque minoris potentiae (§. XI.). Quare si causa doloris ponatur eadem & adPLICetur alicui fibræ nerveæ, majorem faciet mutationem, majoremque disharmoniam, quam si adPLICatur fibræ musculari; & in hac etiam hærens majorem quam in arteriosa. Ergo in *eadem homine*, si causa doloris eadem & æqualis, erunt dolores inverse uti potentiae fibrarum quæ læduntur; Et si hæ sunt in proportione harmonica (§. XLIX.), erunt dolores in *eadem*, sed reciproce.

§. LXII.

Extendi debet ista lex ad plura quoque corpora, eorumque differentiam, quo quis enim habitu est *robustior vel lazier*, eo minor disharmonia fibrarum in illo locum habet, quæ ab æquali causa major erit in alio *magis stricto & sensibili*. Unde porro sequitur, in febre, in hyeme, sub aeris austrina constitutione, in animi affectibus, ubi tota corporis compages magis tensa & sensibilis deprehenditur, dolorem cundem magis dolere.

§. LXIII.

Hactenus doloris *cansam* eandem & æqualem posui-
mus, sed hæc etiam gradu variare poterit. Plerumque
enim oritur dolor, quando humoris aliqua particula in-
ter fibras impacta hæret, easque distendit, ideoque tor-
num exaltat. Quæ humoris particula majorem in fibras
actionem exercet, si *vel massa, vel motu intrinseco* ma-
jori gaudet. Ita *sanguis* propter majorem massam gravius
urgebit in *inflammatione*, quam *serum in rheumatismo*
simplici. Propter *motum intrinsecum* autem majorem
dolorem creabunt *humores acres*. Quoniam *acredo* omnis
in *motu partium intrinseco* fundata est, sic ut vix talis ad-

G

fit

fit in corpore humano, nisi a *putredine* cuiusdam partis originem ducat, quæ sine intrinseco motu esse non potest. Non enim amo figmenta Cartesianorum, qui ubi de acredine agunt, tot sibi fingunt spicula, enses, gladios & mille formarum bipennes, nunquam probandos. Demonstrent enim hos in igne, corpore acerrimo, in oleis æthereis, in hendecaedro vitriolico, simul autem *regulam* hanc *motus* observent, quod, ubi triangulum (quale est spiculum) in fluento moveatur, basis semper precedat nunquam cuspis, ideoque latera canalis ferire nequeat.

§. LXIV.

Mitto *tacitum*, accedo ad *aurem*, in qua aliquid esse debet, ex quo cognosci possit, cur eorum sonorum conjunctio grata nobis sit, qui sunt in proportione harmonica. Quomodo sonus per aurem externam, glabram, excavatam, tribus spiralibus plicis convolutam ducatur in meatum auditorium, & membranæ tympani applicetur, hæc autem propter positum obliquum, figuram, chordam, nexus cum officulis & eorum musculis mille modis tendi laxari, cavari, expandi, pro quovis tono recipiendo aptari possit, tum per aerem congettatum membrana foraminis rotundi, & medianibus officulis membrana fenestræ ovalis eodem modo afficiatur, ac in vestibuli tandem cavum soni concepti hæc transferat imaginem, satis ab aliis explicatum est. Adparet autem, ad hunc usque locum omnes sonos mixtos, confusos una membrana recipi, nec in ea satis distinguui, neque ideo distincte a mente percipi posse. Quamprimum autem soni vestibulum ingrediuntur, illi disjiciuntur, & propriam quilibet occupat partem, plane ut solaris radius, prisme vitro exceptus in plures distri-

distribuitur colore variantes, qui antea mixti distingui minus poterant. Nervi enim auditorii per canales semi circulares, per vestibuli cavum & spirales cochlearum scalas ductus, distributio, conjunctio, explicatio, figura, tensio, & longitudo innumeratas variantis toni chordas exhibent. Figura etiam vestibuli elliptica, propter focum duplarem ad utrumque latus sonum flectit, ut pars eius in conchleam, alia pars ad semicirculares ductus feratur.

§. XLV.

Ex his autem omnibus variis toni quidem fibras ibi dari discimus, cur autem ii qui harmonice proportionales sunt, grati existant, nondum liquet. Dicam igitur ea quae hariorum: Per mathefeos principia dantur aliquae spirales linea (qualis est e. g. Helix Archimedea) quarum eam repeat affectionem, si ex earum centro radii ducantur, a se invicem æquidistantes, & æquales angulos includentes, ut arcus illi & peripheræ partes, æqualibus angulis interceptæ perpetuo crescent vel decrescant & quidem in ratione inversâ numerorum naturali serie crescentium, ideoque in ratione reciproca alicujus progressionis arithmeticæ, ideoque in proportione harmonica (§. VIII.). Quodsi igitur cochleam auris ita metiri possemus, ut *Vallava* ductus semicirculares metitus est, auguror, nos talem inventuros esse lineam, quam jam descripsi. Unde conjicio, eos sonos animo videri conspirantes, a quibus chordulae illæ, quæ in cochlea vel sese immediate sequuntur, vel æquali intervallo a se distant, afficiuntur & in tremorem quendam rapiuntur. Quum e contra ii soni non convenire videantur, qui nullo habito ordine diversas, non æqualiter distantes cochlearum chordas mouent. Ut igitur cochlea sit

G 2

organum

organon auditus harmonici, quemadmodum semicirculares ductus forte articulationi vocis percipiendae inserunt.

§. LXVI.

Quæ de ceteris sensibus adfirmari possent, pauca sunt, quoniam satis obscura est eorum observatio (§. XV.). Quum autem ipsa quoque ratiocinatio easdem servare leges videatur, in admirationem recte trahimur, dum advertimus, quanta sit animi & corporis societas, quam accurata mutationum similitudo, quam justa harmonia, sic ut causalis etiam nexus forte non omnino excludi possit.

§. LXVII.

Talis harmonia in quovis homine est, non autem unus omnium tonus, qui acutior est in senibus, prudentibus, macris, sanguineis & venustæ formæ mulieribus; medius in viris aetate consistente valentibus, agrestibus, cholerico-melancholicis, labori & artuum exercitio adfvetis; obtusus in pinguis, infantibus, phlegmaticis, pigris & desidibus; debilior in sensibiliibus; fortior in illo, qui nullo labore frangitur, nec tentatur ab aeris injuriis, quem affectus animi non movent, qui violentiæ cuivis cedere nescit. Aequa tamen hic naturæ cernitur distributio; quibus enim hoc corporis robur datum est, sepe negata est animi cultura. Morum enim honestas, & litterarum, monente Celso, disciplina uti animo præcipue omnium necessaria, sic corpori inimica.

§. LXVIII.

Qui diversorum hominum tonos inter se conferre exactius didicerit, plures occultissimos sympathiæ, antipathiæ, harmoniæ, amicitiæ effectus, cum causis suis cognoscere potuerit. Dedit hujus rei imperfectum fiducie speci-

specimen rariori libro Janus Huartus, Doctor Medicus Hispanus, quem de *scrutinio ingeniorum* inscribit, in quo hominum ad artes, ad amicitiam, ad honores, ad alia habilitatem, populorum societates, & in primis Conjugis ad conjujem proportionem, ut sapiens inde proles nascatur, ingeniose explicat, nec subsistit in universalibus, sed ad ipsa specialiora, progressus est. Meretur hic vir laudem, meretur imitationem.

§. LXIX.

Vix datur alia in medicina thesis, ex qua salutaris diæta ratio felicius determinari possit, ut mediocritate ubique servata, & vitato omni unius motus ultra reliquos excessu, medice & optime vivamus. Quæ autem de febrium curationibus ad confirmandam hanc earum datam theoriam adfirmari potuerint, alii occasione servo, tum libenter ea daturus, si plures primum experientiae me ipsum magis confirmarint.

§. LXX.

Anne putas ergo, B. L. vanum esse, quod veteres de sacris temporibus obseruant? Cur autem Apollini, Medicinæ inventori, musicam simul adscriperunt, quasi unas leges haec sequerentur scientiæ? Quid tandem sibi vult Democritus? sapiens ille naturæ indagator, dum scribit ad Hippocratem: *Medico, in primis rhythmos ac consonantias indagare incumbit, humani scilicet corporis hyram ita tendere & pulsare, ut concentus inde concors oratur, qui corpus nullo horrore concutiat.* Qui enim praesertim dissertationis compendium cupit, habebit istud in hoc Democriteo.

F I N I S.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO
S. P. D.
FRIDERICVS HOFFMANNVS
SENIOR.

FX quo tempore paullo intimius Te cognoui, non modo ex insigni ardore Tuo atque aspiduidate in addiscendis scientia naturalis atque mediae solidis fundamentis sed & candido & modesto Tuo animo miram cepi delectationem: presertim cum Te in tribuendis animi dotibus naturam fautricem habuisse perspicerem; unde etiam factum est ut raro exemplo, tam breui temporis spatio pra multis aliis magnos in naturali scientia feceris progressus. Dissertationem Tuam, quam meo subiecisti iudicio, non sine magna animi voluptate perlegi; & delector sane mathematico ingenii Tui acuminè, quo intima machine humanae penetrare conaris; dum ex motuum proportione harmonica, qua in fibris nervis, arteriosis & muscularibus viget, multorum explicatu difficultum phænomenorum presertim crisium in febribus, & mutationum, qua circa annos climactericos & septimum atatis hominum annum fiunt, explicationem redde-

reddere allaboras. Omnia enim, qua sunt
et eniuntur, mechanice i. e. secundum certum
motuum numerum, mensuram proportionem et har-
moniam sapientissimo ordine singula fieri atque
succedere videmus, quare minime dubitandum quin
in diuino perspectissimo hominis opificio omnes mu-
tationes qua ad vitam, mortem, sanitatem, morbos
eorumque causas cognoscendas pertinent, ex mul-
tiplici artificiosissimo mechanismo deriuanda, at-
que petenda sint, adeo ut etiam harmonia et con-
sensus, qui animam et corpus nostrum interce-
dit, omnino ex symmetria quadam sit explican-
dus. Si igitur dicendum quod res est; hac na-
ture arcana nemo rectius rimari ac penetrare
potest, quam rationalis et in arte peritus medi-
cus, id est talis, qui fundamentis anatomicis, phy-
sicis, chymicis, observationibus practicis et in-
genio mathematico probe est instrutus. Gra-
tulor laborem bene peractum et curriculum aca-
demicae vitae cum laude absolutum, atque hono-
ribus, quos ordo noster Tibi digno propediem
tribuet, feliciter atque diu fruaris opto et ap-
precior. Vale. Hale d. XXI. April
clo l3 CC XLI.


PRÆNO-

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO

S. P. D.
J. G. KRÜGER.

Excellentiam ingeniorum est novis inventis scien-
tias exornare & ad maiorem certitudinis gradum
evehere. Ast non curvis datur adire Corinthum.
Medicinam si spectes, invenies ingenia plebeja;
reperies etiam qui ultra vulgum sapient. Dantur
Dii minorum gentium, dantur & majorum. Illis medicina
est ars callide circumveniendi, his scientia Marsheſi & Physice
superstructa. Quantum discriminem! certe vix putares eidem
studiorum generi addictos. Tu Prænobiliſſime Candidatæ hec
optime novisti. Ni enim totus fallor in augmentum scientiarum
natus videris. Loquitur id ingenium præstantissimum, loqui-
tur dissipatio. Letor utrumque. At theſi, Philosophie, Me-
dicina, & que primo loco nominanda fuſſet, Theologie navasti
operam. Dubius herco an Theologus, Philoſophus aut Medi-
cus vocandus ſis, in omnibus his tam laudabiliter versatus. Hoc
ſcio mihiq; gratulor, quod ante hos tres & quod excurrit an-
nos, Te habuerim non auditorem ſed amatorem. Non re-
cenſebo laudes tuas. Verbis ſuperſedeo. Res loquitur. Ut
omnia denique feliciter Tibi ſuccedant opto idemque fore
prevideo. Et enim virtus ſui ipfius præmium.


Vale.



Halle, Diss.) 1741

Ab. B. A.





Farbkarte #13



1941 11

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
MOTIBVS CORPORIS HVMANI
QVI FIVNT
IN PROPORTIONE HARMONICA
PRAESERTIM CRISIBVS ET
FEBRIBVS.
QVAM
IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
AMPLISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
FAVENTE CONSENSV
PRO DOCTORIS GRADV
IMPETRANDO
SPECIMINIS LOCO PROPONIT,
ac d. April. MDCCXL.
PVBLICE DEFENDET
JO. GOTTLÖB LEIDENFROST
STOLBERGENSIS.
HALÆ MAGDEBURGICÆ
Typis HILLIGERIANIS.